

praestando; nec capitaneum generalem Ecclesiae nepoti vel alicui consanguineo concedat.

Item, quod super omnes et de singulis supradictis et dependentibus ex ejusdem et aliis in quibus consilium duorum cardinalium requiritur promotionibus, atque promoturas, dumtaxat exceptas, ullam bullam unquam expediri consenserit in qua non sit de Consilio fratrum nostrorum, nisi primo realiter et eum effectu concistorialiter fuerint vota super contentis in causa exquisita, et major pars consenserit, et hoc subscriptione trium cardinalium utrius ex quolibet ordine constetur.

Item, quia camera reperitur nunc obligata, et gravis pecuniarum obligatio contrahit quibus possit in futurum in causis urgentibus et necessariis obligari ad occurrendum et providendum ut redditus et proventus Sanctae Romanae Ecclesiae a Summis Pontificibus in posterum ad plures annos obligari, voluerunt praefati cardinales quod ille qui in Summum Pontificem eligeretur non obliget dictos redditus et proventus nisi ad annum, tamen in causa necessitatum et de ipsorum dominorum cardinalium consensu et voluntate; et quod obligationes factae, vel venditiones officiorum, extra curiam romanam, etiam cum auctoritate solutionis non durent ultra a die mortis Papae, neque praetextu obligationis camerae propterea impediri possit quo minus futurus Pontifex possit et valeat disponere, in casu quo ipse confecerit obligationem seu obligationes hujusmodi, sint nullae nulliusque roboris vel momenti, ad easque Sacrum reverendissimorum dominorum cardinalium Collegium et successores Summi Pontificis minime teneantur.

Item, ad obviandum pariter ne arces et fortificia Sanctae Romanae Ecclesiae venales fiant, voluerunt praefati reverendissimi domini cardinales Sacrum Collegium et futuros Summos Pontifices nullo pacto teneri ad aliquam huiusmodi mutationem pecuniarum, seu quovismodo soluturam seu manum dari ad solvendarum restitutionem. Verum, ut haec duo capitula mercatoribus, castellanis et etiam aliis Summis Pontificibus et camerae apostolicae quomodolibet ex quavis causa contrahentibus nota et perspecta sint ita ut nullo unquam tempore ignorantia alegatae seu pretenditae valeat, statuerunt praefati reverendissimi cardinales capitula ipsa haec duo ante et post coronationem legenda a tempore, prout in camera et cancellaria apostolica publicari debet. Idem quoque servari debeat in quibuscumque officiis, hactenus pignorationis vel redditus extra romanam curiam.

Item, quod suprascripta et infrascripta capitula omnia et singula faciet legi in concistorio praesenti, Sua

Sancta auctoritate semel in singulo trimestri, dominis cardinalibus bis in anno, videlicet decembris et martii, sub poena excommunicationis, si non conveniat ad petitionem priorum praedictorum, et fori si non votaverit nisi legitime impeditus fuerit, ad videndum, cogitandum et examinandum utrum omnia et singula praedicta et infrascripta per Pontificem serventur; et si non serventur, admoneatur eum caritative et eum ad illorum observationem exhortetur usque ad tertiam admonitionem, ipsique domini cardinales teneantur omnia observare sub poena excommunicationis, nec unquam votum suum adsuper circa infrascripta dare. Quod si secus gratia vel timore fecerint, ultra vinculum excommunicationis contra se ipsos, ex nunc auctoritate et determinatione futuri Summi Pontificis obligentur similiter quidquid per ipsum Pontificem contra vel praeter praedicta, qualitercumque ratione dictum vel gestum fuerit, sit ipso jure irritum et inane, nulliusque momenti et valoris, et pro infecto habeatur prout futuris mensibus contra alium ab eis petet, quod si petierit, ex nunc et ultra idem verisimiliter existant, non teneantur in excessu obedire. Et primo cardinale negligente sequendo usque ad ultimum, ejus vice fungantur et teneatur ad praemissa.

Item, promittet et jurabit, quod in spiritualibus et temporalibus, quae graviora sunt et magni momenti statui Ecclesiae concernentia quoquomodo, nullam jurisdictionem preiudicabit aut dabit quovis quaesito colore cuique clerico, laico vel seculari cuiuscumque conditionis, status, gradus vel dignitatis existat.

Item, promittet et jurabit servare quod causas concistoriales absque voto duarum partium praedictorum dictorum cardinalium non expediet, et quod in causis gravioribus et arduis, signanter in creatione cardinalium et processu faciendo contra eos, in promotionibus et translationibus episcoporum, episcopis ductis, constitutionibus legatorum de latere et capitanei generalis et confalonarii Romanae Ecclesiae, in reductione censuum ejusdem, liga, pace et bello extra terras Ecclesiae et novorum officiorum institutione generali, quacumque impositione . . . . . nec non quibuscumque causis gravibus similibus nec dissimilibus etiam majoribus expressis, non expediet aliquid nisi de consilio et expresso consensu duarum partium cardinalium, quorum suffragia et vota dari debentur per ballotas albas et nigras; aliter facta in contrarium ipso jure sint nulla et habeantur pro infectis liceat tamen cuilibet cardinali persuadere seu derogare quod sibi melius videbitur, et votum tamen non nisi per ballotas intelligatur datum.